



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

III. De officio episcoporum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

58 CONSTITUTIONES ODONIS

riam Dei. Neminem iniuste per potentiam opprimere : fine acceptione personarum inter virum & proximū suum iudicare : aduenis, pupillis, & viduis, protector esse : furustum prohibere : adulteria punire : iniquos non exaltare : pauperes eleemosynis alere : quia etsi omni homini necessarium est Christi custodire mandata, præcipue tamen regibus & omnibus in sublimitate positis ; qui & pro seipsis etiam, & pro vniuersis sibi subiectis, in die districti examinis iusto iudici rationem sunt reddituri.

III.

Tertio, admonendi sunt episcopi, quatenus cum omni honestate & modestia in sanctæ religionis pietate prædicanter & ostendant exempla bona omnibus. Ut suas parochias omni anno cum omni vigilantia, prædicando verbum Dei, circumeant ; ne aliquis per incuriam pastoris, per deuia cuiuslibet ignorantiae errans, lupinis pateat mortibus lacerandus. Ne quis turpis lucri gratia, sed spe mercedis æternæ, gregem sibi commissum pascere studeat : quod enim gratis excepimus, gratis impendere non differamus. Absque ullo timore vel adulazione cum omni fiducia verbum veritatis prædicare, regi, principibus populi sui, omnibus dignitatibus, & nunquam veritatem subterfugere. Neminem iniuste dampnare, neminem nisi iuste communicare, omnibus viam salutis demonstrare.

IV.

Quarto capitulo, admonemus presbyteros ut populum Dei bonis exemplis habitu sancto doceant, & doctrina sancta erudiant & informent. Ut illorum conuersatio in omni bonitate & modestia moribus populi excellentior sit : quatenus qui eum viderit secundum presbyteratus sui dignitatem vestitum incidentem, bene & laudabiliter enuntiat habitus eius.

V.

Quinto capitulo admonendi sunt clerci, ut canonice cum omni honestate & reuerentia iuxta sanctorum patrum decreta viuant : præbentes bona omnibus exempla, quatenus in eorum bona conuersatione laudetur episcopus, honoretur ecclesia, populus proficiat in laudem Dei, & illi secundum nominis sui dignitatem, digni in Dei hereditatem venire efficiantur.